Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 3355

Quelle:
Copyright:

precordijs concupiſco. Explicit Soliloquium Hugonis De Arra anime. Deo gratias. Deeſt nobis *Prologus* ad Concanonicos in *Hamersleben*, quocum extat Opuſculum inter *Hugonis* Opera *Rothomagi* 1648. T. II. p. 223. f.

XVIII. *fol.* 218. *Clauſtrum Anime.* Prima fronte videri poſſet ad eundem *Hugonem a S. Victore* vel *Hugonem de Folieto* referendus hic Tractatus, cum inter Prioris *Opera* T. II. p. 42. quatuor Libri eodem titulo gaudeant. Sed diverſum eſſe ab iis omnino, docet collatio. Quaerendus igitur alius, qui *de Animae Clauſtro* ſcripſerit. *Trithemius* in *Scriptt. Eccl. Guilelmum Pariſinum* Ep. natione *Arvernum* offert, qui 1249. exceſſit. Sed hunc *Coenobitam* aliquando fuiſſe, nemo docet, qualis certo certius fuit Scriptor noſter. *Balaeus*, *Pitſeus*, et ex his alii Librum *de Clauſtro Animae Guilelmo de Sengham* circa 1260. tribuunt; eum tamen Fratrem *Auguſtinianum* faciunt, neque locum ullum adſignant, ubi ejus opus inſpici poſſet, quod igitur in perditis ducendum. Noſtri initium eſt: *Abbas huius clauſtri eſt iugis meditacio diuine preſencie* &c. Ita Prior eſt *Obediencia*, Subprior *Diſcrecio*, Procurator *Paupertas Spiritus*, Portarius *timor Domini* &c. Ad hunc modum percurruntur ſingulis *Capitibus* ſingula Perſonarum in Clauſtro officia, quin et loca, puta *Scola*, *Armarium*, *Cella*, *Chorus* &c. ea adcuratione, ut ne quidem *Meatus ſordes clauſtri educentes* absque moralizatione diſcedant. Caput *ult.* agit *de Cuſtodibus Clauſtri*, et ſubſcriptum eſt: *Explicit clauſtrum anime liber bonus. Deo gracias.* Ad Familiam *Benedictinam*, aut *Ciſterciensem* pertinere contendo.

XIX. *fol.* 257. *Tractatus de probacione Spirituum Magiſtri Jo. Gerſon Cancellarij pariſienſis quondam digniſſimi.* Incipit: *Probate ſpiritus ſi ex deo ſunt jubet* &c. ut *Cod.* XC. et in Edit. *Opp.* dicta *Dupinii.* T. I. *col.* 37.

XX. *fol.* 265. *Tractatus De ſollicitudine eccleſiaſticorum Magiſtri Johannis Gerſon Cancellarii Beate Marie pariſien. Ad fratres Celeſtinos continens particulas.* 68. Initium: *Queritur reſponſio ſuper dubijs ſequentibus vnde crebro ſollicitudines conſcientiarum* &c. Finis: *Intelligencias veſtras In chriſto Ibeſu Domino noſtro Amen.* Extat *Opp. T. II. col.* 597.

XXI. *fol.* 279. p. 2. *Secuntur concluſiones de diuerſis materijs moralibus vtiles valde poſite per Magiſtrum Johannem Gerſon doctorem Eximium in Theologia ac Cancellarium pariſien.* Prologus incipit: *Agamus nunc interim quod natura et imitatrix nature ars ſolent* &c. Opuſculum jam Sec. XV. ut multa alia *Gerſonis*, *ſ. l.* et *a.* editum, in *Opp.* edit. T. III. *col.* 77. titulo *Regularum Moralium* comparet. Nobis ſubſcriptum eſt: *Explicit et finitum ſcriptumque fuit hoc opuſculum ſolempne et magiſtrale Baſilee Sacroſancta Synodo vniuerſali ibidem Sedente et in anno duracionis et continuacionis ſue legitime vndecimo, de menſe Octobris.*